

Johannes Vorst    Nicolaus Rungius

## **De Enunciatione Universali, Tum Affirmativa, Tum Negativa Exercitatio**

Rostochii: Richelius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730156621>

Druck    Freier  Zugang



RU phil 1653  
Johann Vorstius  
Nicolous Rünge



ΣΥΝΘΕΩ.  
DE  
ENUNCIATIONE  
UNIVERSALI, TUM AF-  
FIRMATIVA, TUM NEGA-  
TIVA  
EXERCITATIO,

QUÆ  
IN ILL. ACAD. ROSTOCHIENSI PLA-  
CIDÆ VENTILATIONI SUBJL-  
CIETUR

A  
PRÆSIDE

M. JOH. VORSTIO;

ET

RESPONDENTE

NICOLAO RUNGIO,

SLESVICENSI

AD DIEM XIX. MARTII.



ROSTOCHII

Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.

Anno c1813c LIII.

SERENISSIMO ET CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO

DN. FRIDERICO,  
HEREDI NORVEGIÆ, DUCI SLESVICI-  
HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMAR-  
SIÆ, COMITI OLDENBURGI ET  
DELMENHORSTÆ &c.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

**T**Empore, quo veris renovatur amena voluptas,  
Sarmaticæ, rigens frigore cedit hiems:  
Quo rapidi cessant Cori, quo conticet Eurus,  
Et contrâ Zephyri mollior aura strepit:  
Quo varios iterum flores Phœbeius ignis  
Elicit, & lato gramine vestit humum:  
Dum ramis gemma redeunt, & vallibus herba,  
Arboribus succi, fertilitas solo;  
Scilicet & vernant animi, nova excitat ardor  
Mentes, ingenio vivida flamma redit.  
Hinc etiam roseo dum nos spatiamur in horto,  
Hos Sophia flores nostra Minerva tulit.  
Quos Tibi submissò, PATRIÆ PATER optime, vultu,  
Quos humili gestu, supplice mente damus.  
Si de ruricole manibus Celssimus olim  
Sumere Rex vilem non dubitavit aquam:  
Accipe, Palladio quicquid de fonte liquoris  
Manat, & hinc autam gestit adire Tuam.  
Sis felix, nostrorum, save, FRIDERICE, labori;  
Hæc sola est voti summa caputq; mei.

VEST. SERENIT.

Servus, Cliens & Alumnus devotissimus  
NICOLAUS RUNGIUS,  
SLESVICENSIS.



**A**dmiranda planè res est operationum mentis nostræ varietas. Nec temere ullâ re magis differimus eruditi ab idiotis, quàm earum ipsarum operationum consideratione. Cognoscunt idiotæ varias res quæ sunt extra ipsos : habentq; , etsi non distinctas, attamen confusas notiones. Sciunt lapidem discernere ab arbore, & arborem à bove, aut alio animali. Quid verò agant mente suâ, quamq; varia agant, de eo non recogitant, nec quomodo ea inter se discrepent, perspectum habent. Cæterum eruditi ex earundem rerum consideratione ingenuam voluptatem capiunt, sibiq; de eâ habent gratulari. Intelligunt illi, se intelligere. Et, quemadmodum cætera entia genuinis differentiis inter se discernunt, ita etiam, quomodo intellectus sui operationes se habeant, quamq; longe propè a se invicem absint, haud ignorant. De nobis ipsis quoq; fateri liquet, *δοκειν πάντων τῶν σοφίαν ἰαυμενῶν ἡδονὰς ἔχειν, καθ' αἰσθητὴν καὶ τὰ βέλτιστα*, ut lib. X. Eth. Nic. c. VII. loquitur Philosophus. Quamobrem etiam, dum quoddam disputandi argumentum proponere consilium est, facillimè sanè adducimur, ut de eximio isto ac penè divino argumento cogitationes suscipiamus. Non autem singula quæ huc pertinent, his chartis illinere placet: [foret enim id longum] sed de enunciatione universalis modò, tum affirmativâ, tum negativâ dispicere est animus. Non tamen solam operationem mentis, quæ enunciatio dicitur, considerabimus, verùm etiam, quæ ejus signum est, orationem externam.

II. Postquam à Viris Philosophis observari cœpit, operationes intellectus nostri non unius esse generis, diversis istis entibus diversa quoq; ac peculiaria vocabula ab iisdem sunt imposita. Aliquod quidem genus *notionem & conceptum*, itemq; *simplicium apprehensionem* vocarunt. Aliud vocarunt *enunciationem*, itemq; *binis*

binis vocabulis, *compositionem ac divisionem*. Enunciatio quidem à *notione* sic rectissime discernetur, si dicamus, *eam esse operationem mentis quæ ex notionibus sive conceptibus ita composita sit, ut verum vel falsum in eâ existat*. Datur *sanè* etiam hujusmodi notionū compositio, in quâ verum vel falsum non existit. Ex causâ: cum notionem *exercitus* formo, tum notionem habeo *multorum hominum, qui bellandi causâ congregati sunt*. Sic etiâ cum notionem *nummi aurei* formo, concipio tum materiam, quæ aurum est, tum quoque simul ei impressam formam. At verò in ista notionum compositione nondum observare licet verum aut falsum. Tum demum verum aut falsum existet, si cogites, *hunc vel illum nummum esse aureum, hunc nummum à quopiam esse donò datum*.

III. Ista porrò mentis operatio, quam enunciationem vocamus, variorum generum est. Alia enim est affirmativa: alia negativa. Alia universalis, alia particularis, alia singularis. Et affirmativa quidem enunciatio talis est, quâ prædicatum subjecto attribuitur, sive quâ prædicatum cum subjecto connectitur: negativa verò, quâ prædicatum à subjecto removetur. Aristoteles enunciationem affirmativam uno vocabulo vocat *κατάφασις*: negativam verò vocat *ἀπόφασις*. Et illam definit quòd sit *ἀπίφασις τινος κατὰ τινος*: hanc verò, quòd sit *ἀπίφασις τινος ἀπὸ τινος*.

IV. Cæterum non ista modò mentis operatio de quâ diximus, enunciatio dicitur, sed & illa res eodem nomine appellatur, quæ istius mentis operationis signum est, *oratio* scilicet, sive sermo, qui utique ex vocibus constat. Cum autem sic duæ diversæ res, operatio mentis scilicet, & quæ ejus signum est, oratio sive sermo nomen *enunciationis* commune habeant: ne eadem res confundantur & pro iisdem habeantur, addi solent voculæ *distinctivæ, interna, externa: item mentalis, vocalis*. Ubi igitur *enunciationem internam* nominamus, tum intelligimus illam ipsam quam dixi operationem. Ubi verò nominamus *enunciationem externam*, tum intelligimus orationem istam quæ enunciationis internæ signum est.

V. Licet deinde ipsam quoque enunciationem externam definire: sic quidem, ut in ejus definitione talem differentiam ponas, quæ juxta superiorem, quæ in definitione enunciationis internæ est, differentiam sit efformata. Enunciatio interna, ut dixi, est operatio mentis ex notionibus ita composita, ut verum vel falsum in eâ existat. Similiter igitur enunciatio externa definiatur, quòd sit oratio ex vocibus ita composita, ut in eâ verum sit aut falsum. Si concipias *nummum aureum*, est modò notio, ut dixi. Si verò sic cogites *hunc nummum esse aureum*, tum in mente habes enunciationem, tumque aliquid habes quod vel verum vel falsum est. Sic quoque de compositione vocum res se habet. Duæ istæ voces *nummus aureus*, nondum sunt enunciatio. Si verò dicas, *hic nummus est aureus*, tum demum enunciatio est: siquidem id vel verum est vel falsum.

VI. Porro quemadmodum enunciatio interna est vel affirmativa vel negativa: ita & externa enunciatio in affirmativam & negativam dispesci potest. Enunciatio interna affirmativa est, ut dixi, quâ prædicatum subjecto connectitur. Pari ratione definire etiam licet enunciationem externam affirmativam; quòd nimirum sit oratio, quâ unum alteri tribuitur, sive competere dicitur. Item, ad illum modum quo enunciationem internam negativam definivimus, licet etiam definire enunciationem negativam externam, quòd nimirum sit talis oratio, quâ unum ab altero removetur. Tribuimus unum alteri in mente nostrâ. Idem quoque facimus oratione, quæ mentem nostrâ repræsentat. Rursus unum ab altero in mente nostrâ removemus, sive unum alteri non competere judicamus. Et idem rursus fit in externâ oratione. Exempli gratiâ: cum cogito, *hominem non esse immortalem*, est ea cogitatio affirmatio negativa. Cogitamus homini non competere tò immortalem esse. Sed & illa ipsa verba *Homo est immortalis*, negativa sunt enunciatio, iisque verbis removetur itidem unum ab altero. Sunt enim ista verba signum ejus, quòd quis in mente suâ unum ab altero removet.

VII. In utroque enunciationis genere, tum affirmativo, tum negativo, sæpe continetur notio sive conceptus universalis. Ex-

empli gratiâ: cum cogitamus, *Christum mortuum esse pro omni homine, sive pro omnibus hominibus*, est in istâ cogitatione nostrâ notio hominis, animalis istius rationalis. Sed non cogito de uno quodam homine seorsim, sed de magnâ multitudine, & de omni quidem substantiâ, *quæ homo est, quæ animal rationale est*. Quòd verò mea hominis notio sic se habeat, ejus signû est in oratione externâ *vocula omnis*. Possum sic, ut dixi, cogitare, nec ullum tamen ejus cogitationis signum prodere, per quod intelligat alter, quid ipse cogitem. Possum tacitus sedere, nec de istâ cogitatione meâ quicquâ eloqui. Ubi autem sic fit, tum æqvè in mente meâ *notio universalis est; hominis* puta, atqve tum est, cum his verbis utor ad alium quendam, *Christus pro omnibus hominibus est mortuus*.

VIII. Cogitemus verò etiam, quem locum *ista universalis notio* teneat in cogitatione nostrâ. Sanè in totâ cogitatione istâ sunt diversæ quædam partes. Est scilicet notio *Christi*, Salvatoris nostri, una quædam pars. Alia pars est notio *mortui*, sive *ejus qui mortem appetiit*. Alia item pars est prædicta ista universalis notio *hominis*. Sed & notio *æternæ vitæ* aliquem in istâ cogitatione locum obtinet. Cum enim dico, *Christum pro omnibus esse mortuum esse*, hic utiq; eorum verborum intellectus est, *Christum mortuum esse, ut omnes homines vitam æternam adipiscantur*. Apparet quoq; notionem *adeptionis, consecutionis, possessionis* prædictæ cogitationis nostræ aliquam partem esse. Varias autem istas cogitationis nostræ partes reducere licet ad *duas*: quarum una cogitationis subjectum sit, altera prædicatum. Et subjectum quidem est sola notio *Christi*: prædicatum verò comprehendit omnes cæteras partes, notionem, inquam, *ejus qui mortuus est, sive qui mortem appetiit*: notionem item universalem *hominis*: porrò notionem *vitæ æternæ*: deniq; notionem *adeptionis, consecutionis, possessionis*. Sed istarum partium prædicati certus in mente nostrâ est ordo. Primum quidem locum tenet notio *mortui*. Proximum tenet notio *finis*. Cogitamus enim, *Christum certo sine esse morenum*. Tertium locum tenet notio *hominis*: quæ quidem universalis est, & omnia individua comprehendit. Quartum tenet notio *adeptionis, consecutionis*. Quintum deniqve tenet notio *vitæ æternæ*.

Horum

Horum porrò partium prima est *principalis*: ceteræ sunt minis principales, & ad primam istam reducendæ. Et earum cogitationis nostræ partium signa sunt vocabula ista, quæ ipsi usurpavim⁹. Hæc verò in oratione externâ non semper eo ordine incedunt, quo ordine ipsas notiones incedere dictum est. Licet dicere, *Christum mortuum esse, ut omnes hom. consequantur vitam æternam.* Itemq; *Christum mortuum esse, ut omnes hom. vitam æternam consequantur.* Licet & compendium verborum facere, dicereq; *Christum mortuum esse pro omnibus hominibus.* Et in ipso illo verborum compendio licet itidem ordinem immutare, dicereq; *Christum pro omnibus hominibus esse mortuum.*

IX. Apparuit ita, universalem istam notionem *hominis* non primum locum totius enunciationis tenere, nec tenere primum prædicati: sed tenere in ipso prædicato aliquem posteriorem locum. In externâ autem oratione vides universalem istam notionem *hominis* expressam esse modò primò casu *homines*, modò sexto casu *hominibus*. Non tantùm verò in prædicato istiusmodi universalis notio locum habere potest, sed & in subjecto. Exempli gratiâ, in hac enunciatione, *Quidam homo, qui omne tempus otio perdidit, prosperâ utitur fortunâ*, notio *temporis* quæ universalis est, ad subjectum pertinet, sive pars est subjecti. Sed non est prima ac principalis pars, sed modò partium posteriorum aliqua. Prima ac principalis pars, est notio *hominis*. Videamus etiam exemplum, ubi notio universalis non posteriorem quendam locum in subjecto occupat, & pars subjecti minis principalis est, sed ubi ea notio constituit totum subjectum. Sit igitur pro exemplo hæc enunciatio, *Omnis homo est mortalis.* Vides hic solam notionem *hominis*, quæ sanè universalis est, subjectum esse. Quandoq; verò istiusmodi universalis notio, quæ enunciationis subjectum est, restricta apparet. Ex causâ, cū dicitur, *Omnis homo qui in Christum credit, salvatur.* Vides hic subjectum enunciationis pluribus constare notionibus. Est ibi notio *hominis*. Deinde est notio *credentis*. Est deniq; notio *Salvatoris Christi*. Cæterum non notio *hominis* seorsim ibi universalis est, (sic enim intelligendum esset, omnem hominem,

1110H

salvari

salvari) sed notio *hominis* cum notione *credentis in Christum* conjuncta, sive, quod idem est, ista notionum compositio, *Omnis homo in Christum credens*, est universalis. Apparet, ipsas notiones esse, vel simplices vel compositas. Si hominem concipias, tum animal concipis quod ratione utitur. Atq; is conceptus, sive ea notio simplex est. Sed certâ tamen ratione: non omnimodis. Si verò concipias *hominem credentem in Christum*, tum concipis *hominem, & simul fidem illam quæ in homine est, quæq; hominis est accidens*. Atq; hic conceptus est compositus: uti & ipsa res quæ concipitur, ex substantiâ & accidente est composita. Potest verò non modò simplex ista *hominis* notio universalis esse, sed & composita ista *hominis credentis in Christum*. Quamvis utraq; notio, tum simplex, tum composita, universalis sit: non tamen notiones istæ æqvè latè patent. Cum cogito de *omni homine*, tum nullum individuum excipio. Cum verò cogito de *omni homine in Christum credente*, tum non comprehendo omnia hominis individua, sed multa excipio. Ista igitur universalis notio quæ simplex est, vocetur *universalis irrestricta*. Altera verò universalis, quæ composita est, vocetur *universalis restricta*.

X. Porro verò appellatio *universalis* ad totas quoq; enunciationes transfertur. Et non tantùm subiectū aut pars subiecti vel prædicati, universalis dicitur, sed tota quoq; enunciatio eodem nomine appellari solet. Nō aliter quàm appellationes *finite & infinite*, quibus ipsa subiecta & prædicata appellantur, ad totas quoq; enunciationes transeunt; ut enunciatio *finita* dicatur, quæ vel subiectum vel prædicatum, vel etiam utrumq; finitum habet: *infinita* verò, quæ vel alterutrum vel utrumq; habet infinitum. Vulgò autem non nisi illa enunciatio *universalis* dicitur, cujus *totum subiectum* universale est. Quæ v. enunciatio quandâ modò subiecti vel prædicati partem universalem habet, eam nomine isto appellari non observamus. Talis inquam, qualis hæc est, *Omnis homo est mortalis*, universalis dicitur. Talis verò qualis est ista, *Christus mortuus est pro omnibus hominibus*, eo nomine nō appellari solet. Ita neq; hanc, quam jam suprà posuimus, universalem vulgò dicunt, *Qui*

AAM

*dam, qui omne tempus otio perdidit, prosperâ fortunâ utitur.* Sed nec enunciationem internam quæ universalis est, vulgo definiunt: sed modò enunciationem externam. Definiunt autem sic: *Universalis propositio est, in quâ signum universale additur subjecto, ut complectatur omnia de quibus subjectum dici potest.* Non sanè sic definiiri potest enunciatio universalis interna; quippe signum illud quod requiritur, non in mente apparet, sed in externâ oratione. Sic & Flacius: *Universalis propositio propriè dicitur, quando subjecto universali additur signum universale.* Idem verò & hoc habet: *signum universale efficere, vel potiùs declarare propositionem universalem.* Nos verò malimus enunciationem universalem præcipuè internam, quæ operatio mentis est, definire, cujus scilicet enunciatio universalis externa signum est.

XI. Primò igitur enunciationem universalem internam definiamus, quòd talis sit cujus totum subjectum, non verò hujus modò pars quædam, universalis est. Secundum hanc definitionem a. non erit in mente nostrâ universalis enunciatio, si cogitemus, *Christum mortuum esse pro omnibus hominibus.* Est quidem tum in mente universalis quædam notio: sed ea non est enunciationis subjectum. Rursus secundum eandem definitionem universalis enunciatio esse non potest, si cogites, *quendam hominem qui omne tempus otio perdidit, prosperâ fortunâ uti.* Est quidem tunc in mente universalitas temporis: sed ea non est totum subjectum, sed modò ejus pars quædam. Tum demum enunciationem universalem, secundum datam quidem definitionem, in mente habebis, si cogites, *omnem hominem esse animal, omnem hominem esse mortalem.* Tunc enim subjecti non pars quædam, sed ipsum totum est universale. Cæterum universalis enunciatio esse potest tum affirmativa, tum quoque negativa. Concurrunt scilicet ista duo, enunciationem esse universalem, & esse affirmativam: item esse universalem, & esse negativam. Hæc simul universalis & affirmativa est, *Omnis homo est mortalis.* Hæc verò simul est universalis & negativa est, *Quicumque non credit in Christum, is non salvatur.*

XII. Sed de enunciatione externâ quoque cogitandum est. Est ea signum enunciationis internæ. Et, nisi homines quædam

B

cogi-

cogitarent, nulla quoque enuntiatio externa foret. Quoniam vero internam enunciationem habemus, conamur eam vocibus, ut signis quibusdam prodere. Si pueros quosdam unam jubeas vivere, nec ullam eas doceas usitatarum linguarum, ipsi tamen suas intellectus operationes conabuntur alter alteri signis quibusdam prodere, propriamque sibi linguam efformabunt. Videamus igitur de externam quoque enunciatione, quae universalis est. Possis eam eodem fere modo definire quo definita paulo ante est enuntiatio interna, hoc puta modo, *Enuntiatio externa universalis est, quae subjectum universale habet.* Sed quare deinde potest, quomodo in externam enunciatione subjectum universale fiat. Et respondendum, subjectum in externam enunciatione universale fieri, si vocula *omnis*, aut alia similis addatur, aut saltem subintelligatur. Haec igitur enuntiatio externa (nunc enim ad voces attendimus) *Omnis homo est mortalis*, universalis est. Habet enim voculam *Omnis* toti subjecto additam. Itemque haec, *Quicumque non credit in Christum, is non salvatur.* Non tantum vero duae istae voces *Omnis*, *Quicumque*, sunt universalitatis signa, sed & aliae quaedam, haec puta, *Quilibet*, *Quivis*, *Quisque*, *Unusquisque*.

XIII. Hic vero discrepantiam quendam observa mihi in oratione externam: tum in internam quoque. Unum idemque officium est harum vocularum, *omnis*, *quicumque*, *quivis*, *quilibet*, *unusquisque*. Nec tamen promiscue his utuntur Latini. Recte dixeris, *Omnis homo sentit*: non vero, *Quicumque homo sentit*. Ubi subjectum enunciationis uno vocabulo absolvitur, ibi vocem *quicumque*, vix usurpatam reperies. Deinde eadem vocula non potest universalem constituere, nisi verbum *est*, sit additum, hoc modo, *quicumque est homo*. Rursus vocem *quicumque*, usurpare licet, ubi vocem *omnis* non item. Recte dixeris, *Quicumque Logicam non didicit, is verum recte exquirere haud potest*. Idem vero minus concinne sic expresseris, *Omnis qui Logicam non didicit, verum recte exquirere haud potest*. Sic nec concinne dixeris, *Omnis qui in Christum non credit, non salvatur*. Dicendum autem fuerit, *Quicumque in Christum non credit, is non salvatur*.

XIV. Sed levia istae sunt praeter illo quod nunc sequetur. Sane si

nè si vocem *Quicumque* usurpes in universali negativâ enunciatione, ipsum subjectum enunciationis universale redditur. Quid si verò vocem *nullus* ad universalem negativam faciendam usurpes? An tum quoque subjectum enunciationis dices universale reddi? Exempli causâ, si dicas, *Nullus homo est immortalis*. Nobis non videtur. Sed dices: annon vocula *Nullus* est inter signa enunciationum universalium negativarum, ut vulgo docetur? Non quidem hoc inficias prorsus ire libet: sed monemus tamen, quosdam qui ita docent, non satis convenienter isti doctrinæ suæ & hoc tradere, voculam *Non* vel ante copulam vel ante signum oportere poni, si enunciatio negativa esse debeat. Quid enim dicent isti de proximâ illâ superiore enunciatione, *nullus homo est immortalis*? Est ea sine dubio negativa. Quæ verò hujus causâ? Respondebunt isti, propterea esse negativam, quòd vocula *Non* immediatè ante signum est posita. Quodnam igitur est signum illud, ante quod vocula *Non* est posita? Non poterunt dicere totam vocem *Nullus* esse signum. Sic enim voculam *Non* in eâ enunciatione demonstrare haud valebunt. Non dictum est *Non-nullus homo est immortalis*, sed *Nullus homo*. Ergo necesse habebunt dicere, si quidem ἀπολογέμεθα dicere velint, vocem *ullus* esse signum, & voculam *Non* ei præmissam esse.

XV. Cæterum potest vox *Nullus* signum esse universalis negativæ enunciationis, ita ut ipsa tamen subjectum ununciationis non reddat universale. Subjectum enunciationis universale dicitur, si illud comprehendat omnia, de quibus ipsum dici potest. Ut si dicam, *omnis homo*, (*quicumq; homo est*, *Quilibet homo*) *animâ rationali est præditus*. Si verò dicam, *Nullus homo*, idem id valet quod *ne unus quidem homo*. Sic & Græci dicunt, μηδὲς ἄνθρωπος, ὅδ' εἷς ἄνθρωπος, hoc est, μηδὲ εἷς, ὅδ' εἷς, neque unus, ne unus quidem. Imò ita separatim quoq; nonnunquam voculas ponunt. Ut Actor. V. 32: ὅδ' εἷς πῦρ ἀρχόντων αὐτῶν ἔλεγον ἰδίον εἶναι. Dicunt etiam ἕως non aliquis, ubi universalem negativam facere volunt. Ut Hesiodus: ἀδῶτη μή τις ἔδωκε. Ubi igitur sic loquuntur, tum Latini, tum Græci, tunc aliquid subaudiendum relinquunt. Exempli causâ, cum dicunt, *nullus homo* (*ne unus quidem*)

dem homo) immortalis est, *ὅτι οὐδὲς (ὅτι οὐδὲ ἐστὶν) ἀθάνατος*: subauditur illud, multo minus plures sunt immortales. Cum ne quidem, aut aliquid quod similem vim habet usurpatur, tum oportet vel expressè sequi, vel saltem subaudiri, multo minus, quanto minus.

XVI. Quoniam igitur hoc constare potest, vocis Nullus eam quam dixi, vim esse: cogitemus, an ea subjectum reddere possit universale. Nullus homo significat ne unum quidem hominem. Habes sic primò notionem unius hominis, unius cujusdam individui. Quæ notio non sanè universalis est, nec plura, multo minus omnia individa comprehendit: sed est planè particularis. Deinde additum est ne quidem. Atq; ita negatur, uni cuidam individuo aliquid competere: simulq; subauditur illud, multo minus competere pluribus. Cum igitur dicis, Nullus homo est immortalis, idem id valet, ac si plenè sic diceres, Ne quidem verum est, unum hominem esse immortalem: quanto minus igitur immortales erunt plures.

XVII. Non quidem subjectum redditur universale, si vocem Nullus usurpes: ipsa tamen tota enunciatio universalis rectè dicitur. Planè enim æquipollet illa tali enunciationi universali negativæ, quæ ipsum quoque suum subjectum universale habet. Sed pro proximâ istâ enunciatione vix per Latinæ L. genium æquipollentem ponere licet. Tentemus tamen: Quicumque homo est, is non est immortalis, Omnis homo non est immortalis. Ita subjectum enunciationis universale est. Et ab istiusmodi universali subjecto removetur prædicatum. Sive igitur jam dicas, Quicumque homo est, is non est immortalis, sive dicas, ne unus quidem homo est immortalis: unus planè idemq; verborum intellectus est: estq; inter enunciationes istas æquipollentia, ut Logici vocant.

XVIII. Cæterum talibus enunciationibus, qualis est ista. Nullus homo est immortalis, plurimum delectantur populi. Latini rarò aliter faciunt. Non receptum est usu apud Latinos dicere, Omnis homo non est immortalis. Nec Græci facilè dixerint, πᾶς ἀθάνατος. Alter autem modus magis placuit. Sed & ista linguæ, quæ ex veteri Latinâ sunt ortæ, non aliter habent. Galli *ὅτι οὐδὲς ἀθάνατος* dicunt, Nul homme n'est immortel. Itali quoq;  
Nullo,

Nullo, Niuno, nissuno huomo è immortale. Sed & dicunt Galli, *Personne n'est immortel*. Ubi tum subaudiunt *une*; quasi dicerent, *unam personam non esse immortalem: multo minus plures*. Simile quid habent & Hebræi, ut mox dicam. Sed & nos Germani non discrepamus à cæteris. Non enim dicimus, *Alle Menschen sind nicht unsterblich*: sed verò *Kein Mensch ist unsterblich*. Videntur antiqui vocem *Kein* composuisse ex duabus *kaum ein*: & vocem *kaum* usurpasse pro *nicht*. Quædam etiam dialectus sic habet, *neen Mensch is unsterflick*. Ubi tum vox *neen* manifestè composita est ex *nicht een*, & sic planissimè congruit cum Latinorum voce *nullus*, & Græcorum ἐδέξ. Nec à cæteris discrepant Angli. Usurpant illi vocem *none*: quam composuerunt ex *not one, non unus*.

XIX. Nec desunt talia in Orientalib<sup>9</sup> Linguis. Hebræis dicere licet, אִין אָרָם אֲשֶׁר לֹא יָמוּת, *Non (est) homo qui non moriatur, sive moriturus sit*. Nonnihil tamen hæc discrepare videntur à superioribus. In his omnibus enim vocula negativa, præmittebatur toti enunciationi. Cum dicis, *Nullus homo est immortalis*, vocula negativa *Non*, cuius particula adhæret voci *Nullus*, non pertinet ad copulam enunciationis, sed afficit totam enunciationem. At in Hebræis vocula אִין videtur pertinere ad copulam: quæ quidem omissa est, & non apparet. Exemplum, juxta quod superiora Hebræa formata sunt, est in I. Reg. cap. VIII. v. 46: אִין אָרָם אֲשֶׁר לֹא יַחַטָּא, *Non (est) homo qui non peccet*. Cæterum ad vocem אָרָם subaudiendum est אֶחָד *unus*. Ut ita plena oratio talis sit: *Non est homo unus qui non peccet. Non est homo unus qui non moriatur*. Sed adhuc plus animadverto discrepantiæ. Quod in superioribus ad prædicatum pertinebat, id in Hebræis pertinet ad subiectum. Quod satis intelliges, si verba hoc ordine sint posita, *Unus homo qui non moriatur, non est existens*.

XX. En tibi ex Hebræis aliud quippiam: quod quatenus superioribus congruat, consideremus. In Ps. XXXIV. 21. dicitur, אֶחָד מֵהֵנּוּ לֹא נִשְׁבָּרָה, *unum ex illis (ossibus) non confringetur*. Latini dicerent, *Nullum (non ullum, non unum, ne unum quidem) eorum confringetur*. Vides in Latinis *Non* esse ante

vocem *ullus*. Sic & in Græcis res se habet, ἐδὲν ἀλλῶν (ὡς τοιοῦτος)! Et Germani, *Keiner derselben wird zubrochen werden*. Et Galli, *Nul de ceux ne sera cassé*. Interpretes, Ministri Genevenses, vertunt, *Point un n' est cassé*. Habent hi voculam negativam & ante *un*, & ante copulam: quod in cæteris non observatur. Anglus habet, *That not one of them is broken*. Atque ita & ipse voculam negativam posuit ante *one*. At in Hebræis vocula negativa ponitur ante copulam, quæ verbo est inclusa, hoc scilicet ordine, *Unum ex illis non confringetur*. Intelligis, credo, quid hîc sit discrepantiæ. Atque ita frequentissimè faciunt Hebræi. Etiam, cum vocem אִישׁ subaudiunt modò, & non difertè addunt. Ut cum dicunt אִישׁ לֹא יִדְרֹךְ *Vir non desideratus est*, subaudiunt vocè אִישׁ ad vocem אִישׁ: particula negativa autem pertinet ad prædicatum. Vide illud Esa. XL. 26. Aliud simile est I. Sam. XXI. 1. אִישׁ (אֶחָד) אֵין אִתְּךָ, *Vir (unus) non (est) tecum*. Cæterum cum sic Hebræi verba coordinant, subaudiunt & ipsi tale quid, quæ Latini. Hos dixi, cum dicunt, *nullum* (non ullum, ne unum quidem) *eorum confringetur*, subaudire hæc, *multo minus confringentur plura*. Idem & Hebræi faciunt, cum sic verba ordinant, *Unum eorum non confringetur*.

XXI. Apud cæteros quoque Orientales frequens est ista universalis negativas faciendi forma. Arabes أحدهم (*unus*) vel difertè ponunt, vel subaudiunt modò. In cap. XXII. Matth. 46. ita legimus, τὸ δὲ εἰς ἐδωκάτο αὐτῶν ἀποκριθῆναι λέγον. Quod Interpres ita vertit: لم يستطع احد ان تجيبه بكلمة *non potuit unus ut responderet ei verbum*. Vides & hunc Interpretem non ita ordinare verba, ut Latini solent. Non addit voculam negativam ꝑ voci احد *unus*, sed addit verbo, quemadmodum Hebræi. Non tamen abfimile est, si Latinus dicat, *Non potuit ei respondere ullus*. Sic enim vocula negativa itidem additur verbo. Quod Matth. XI. 27. ita vertit Interpres: ليس احد يعرف الابن الا الاب *Non unus novit filium nisi pater*, id satis simile est Græcis, τὸ δὲ εἰς Πρωτόσωκδ ἢ οὐδὲν, εἰ μὴ ὁ πατήρ. Aliter verò rursus res se habet de his quæ sunt in Matth. VI. v. 24: ليس يستطيع احد ان يعين ربه *Non*

Non potest unus servire duobus Dominis. In Græco est, ἐδείς δὴ ἑνὴν  
δοῦσι κυρίῳ & θεοῖς ἑτέροις.

XXII. Sed habent & Hebræi formam universales negati-  
vas faciendi, quæ ab omnibus istis multum discrepat. Faciunt sc. syllogos  
subiectum enunciationis universale per particulam quæ univer-  
salitatis signum est: non aliter quam in universalibus affirmativis  
faciunt. Exemplum habes Pf. CXLIII. 2. לֹא תִצְדַּק לְפָנַי כָּל הָיִי  
Non justificatur coram te omne vivens. Sed subiectum hic positum  
est posteriore loco. Licet & priore loco ponere, hoc modo,  
כָּל הָיִי לֹא תִצְדַּק לְפָנַי, Omne vivens --- non justificatur coram te.  
Aliud exemp. habes Exod. XII. 43. כָּל בֶּן נֹכְרִי לֹא יֵאכַל בּוֹ  
Omnis filius alienigena --- non comedet de eo. Latinus juxta genium suæ  
Linguae diceret, Nullus alienigena (non ullus, ne unus quidem) co-  
medet de eo. Aliud exemplum est in Chaldaeis Dan. cap. IV. v. 6:  
כָּל חֵן אֲנִי לֹא יֵדָע, Omne arcanum --- non est premens te, nego-  
tium faceffens tibi, difficile scrutatu. Aliud exemplum II. Sam. XII. 3.  
אִין כֹּר אִין פֶּרֶי, & pauperi non (erat) --- omne. Subiectum uni-  
versale denotatur unicâ vocalâ כֹּר estq; id posteriore loco  
positum. Si ordinem immutes, facies enunciationis talis erit,  
Omne (omnis res) --- non (erat) ei (non possidebatur ab eo, ipse  
habebat nihil.) Aliud Eccl. I. 9: אִין כֹּר חֲדָשׁ תַּחַרְחֵשׁ הַשֶּׁמֶשׁ  
non (est) omne novum sub sole. Subiectum enunciationis  
omne novum: universale factum per universale signum. Sed illud  
nec primum locum occupat, nec planè postremum, sed inter vocu-  
lam negativam & partem prædicati est positum. Naturalis autem  
ordo partium hic est, Omne novum --- non est sub sole. Latinus di-  
ceret, Nihil novi est sub sole. Vides, fatis solenne esse Hebræis id  
quod dixi. Hosq; imitati sunt scriptores N. T. cum ipsi Græcè  
scriberent. Ut Paulus Eph. V. 5: πᾶς πόρος, ἢ πλεονέκτης οὐκ ἔχει  
καλονομίαν ἐν βασιλείᾳ & χριστοῦ, pro ἐδείς πόρον ἔχει.

XXIII. Atq; ita apparuit, quomodo illæ enunciationes  
universales negativæ se habeant, quorum totum subiectum univer-  
sale est. Monuimus autem suprâ, esse aliquando non totum sub-  
jectum,

jectum, sed ejus modò partem aliquam universalem: esse item quandoq; universalem aliquam partem prædicati. Exempla sunt: *Christus mortuus est pro omnibus*, *Christus mortuus est, ut omnes vitam æternam adipiscantur*, *Qui pro omnibus mortem oppetiit, ei singuli quoque debent gratias*. Harum enunciationum duæ priores notionem universalem non in subjecto habent, sed in prædicato. Tertia verò tum subjecti, tum quoq; prædicati partem aliquam universalem habet. Duæ priores quoque non sic universales dici ut eo nomine dicebantur illæ de quibus paulo antè egimus. Tertia universalis quidem dici potest sic ut superiores: non autem ob vocem *omnibus*, quæ tum in subjecto, tum in prædicato est, sed ob aliam quandam. Possunt tamen omnes illæ enunciationes, non tertia modò, sed & binæ priores, quæ singulares sunt, propterea quoque *universales* dici, quòd vocem *omnibus* habent, atq; adeò in interna quoque oratione notionem quandam, cui illa respondet. Ut a. à superioribus discernantur illæ, vocètur *universales casibus obliquis*. Tertia tamen non obliquis modò casibus universalis est, sed & casu quodam recto: atq; adeò duplici nomine eam appellatione exposcit. Sed istæ obliquo casu universales quas dicimus, vulgo ferè negliguntur. Dicunt enim reducendas eas esse ad tales, quales supra consideravimus: esse eam partem, quæ vocè *omnis* habet, non prædicatum, sed subjectum. Vide inter alios Flacium lib. IV. Log. gen. c. 3. ubi scribit, *In hac enunciatione, Homo capere potest omnes disciplinas signum prædicato additum modò videri, sed revera additum esse subjecto: idq; apparere, si ea enunc. fiat pars syllogismi*. Verùm quia ipse enunciationem deinde immutat in hanc, *Ommes disciplina cadunt sub cognitionem hominis*, non dicendum erat, priorem illam enunciationem fieri partem istius syllogismi quem ipse ponit. Si sic immutetur enunciatio, nõ amplius manet eadem, sed fit enunciatio æquipollens: quæ tamen à priori & subjecto & prædicato differt. Sed nec semper enunciatio sic converti potest: ex. gr. hæc, *Christus passus est, ut omnes homines vitam æternam adipiscantur*. Sed chartarum modus plura non capit, & nunc igitur differendi faciendus finis est.






Nullo, Niuno, niſſano huomo è immortale. Sed  
 n' eſt immortal. Ubi tum ſubaudiunt *une*; &  
*ſonam non eſſe immortalem: multo minus plar*  
 & Hebræi, ut mox dicam. Sed & nos Ge  
 à cæteris. Non enim dicimus, *Alle Menſch*  
 fed verò *Kein Menſch iſt unſterblich*. Vider  
 compoſuiſſe ex duabus *kaum ein*: & voce  
*nicht*. Qvædam etiam dialectus ſic habet,  
 Ubi tum vox *neen* manifeſtè compoſita eſt  
 niſſimè congruit cum Latinorum voce *nul*  
 Nec à cæteris discrepant Angli. Uſurpan  
 compoſuerunt ex *not one, non unus*.

XIX. Nec deſunt talia in Orientali  
 cere licet, אִין אֶרֶם אֲשֶׁר לֹא יָמוּר, *Non moriatur, ſive moriturus ſit*. Nonnihil tam  
 dentur à ſuperioribus. In his omnibus e  
 præmittebatur toti enunciationi. Cum d  
*mortalis*, vocula negativa *Non*, cuius particu  
 non pertinet ad copulam enunciationis,  
 ciationem. At in Hebræis vocula אִין vider  
 lam: qvæ quidem omiſſa eſt, & non appar  
 qvòd ſuperiora Hebræa formata ſunt, eſt in  
 אִין אֶרֶם אֲשֶׁר לֹא יָחַמַּט, *Non* (e  
 Cæterum ad vocem אֶרֶם ſubaudiendum  
 plena oratio talis ſit: *Non eſt homo unus qui*  
*unus qui non moriatur*. Sed adhuc plus anim  
 Qvòd in ſuperioribus ad prædicatum per  
 pertinet ad ſubjectum. Qvòd ſatis intellig  
 ſunt poſita, *Unus homo qui non moriatur, non*

XX. En tibi ex Hebræis aliud qvip  
 ſuperioribus congruat, conſideremus. In  
 אַחַר מַהֲבָרָה לֹא נִשְׁבָּרָה, *unum e*  
*fringetur*. Latini dicerent, *Nullum* (non ull  
 num quidem) *eorum confringetur*. Vides in I

B 3

the scale towards document



, *Personne*  
*unam per-*  
*habent*  
*repamus*  
*sterblich:*  
*cem Kein*  
*paſſe pro*  
*nſterſtick.*  
*c ſic pla-*  
*um & d'és.*  
*ne: qvam*  
  
*bræis di-*  
*o qui non*  
*epare vi-*  
*egativa,*  
*no eſt im-*  
*ci Nullus,*  
*m enun-*  
*ad copu-*  
*m, juxta*  
*II. v. 46:*  
*on peccet.*  
 Ut ita  
*eſt homo*  
*epantix.*  
*Hebræis*  
*ordine*  
  
*vatenus*  
*dicatur,*  
*non con-*  
*ne, ne u-*  
*eſſe ante*  
*vocem*